

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1282

Auteur(s) : Enguerrand de Maupertuis, « civis » de Bayeux [particulier]

Bénéficiaire(s) : Bayeux (chapitre cathédral)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1283, 11 juin

Lieu d'émission : Saint-Loup

Action juridique : vente

Langue du texte : latin

Analyse

Enguerrand dit de Maupertuis, bourgeois de Bayeux, vend et garantit au chapitre de Bayeux une rente annuelle sur la moitié d'une mesure à Saint-Loup : le chapitre lui donne 105 sous tournois.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° DVII, t. 2, p. 253-254.

Texte établi d'après a

Sciant omnes præsentes et futuri ego Enguerranus dictus de Malo Pertuso, civis Baiocensis, vendidi, concessi, et penitus dimisi capitulo Baiocensi decem solidos Turonenses, unum caponem, et quindecim ova annui redditus, percipiendos per manum Henrici Mariæ, hiis terminis qui sequuntur, videlicet quinque solidos Turonenses ad festum Nativitatis sancti Johannis Baptiste, quinque solidos Turonenses, unum caponem ad Nativitatem Domini, et quindecim ova ad Pascha, quolibet anno, in medietate cujusdam masuræ, et ædificio ejusdem, sitæ in parrochia Sancti Lupi, in vico qui dicitur Portæ Arbreae, inter masuram quam possidet Thomas Le Rossel, ratione Emmæ, uxoris suæ, ex una parte, et masuram Willelmi dicti Lorme (?), ex altera, et butat, ex uno capite, ad clausum Henrici dicti Lepestor, presbiteri, et, ex alio capite, ad queminum domini Regis : tenendos, habendos, et jure hæreditario possidendos dictos decem solidos, caponem, et quindecim ova dicto capitulo Baiocensi, cum omni jure et dominio quæ habebam et habere poteram in dicta medietate masuræ, ædificio, et dicto Henrico tenente medietatem masuræ et ædificium sæpedictum, libere, quiete, bene, et in pace, et absque mei vel hæredum meorum reclamatione in omnibus supradictis seu aliquo supradictorum de cetero facienda, salvo tamen jure domini capitalis. Et ego dictus Enguerranus et mei hæredes dicto capitulo tenemur et debemus omnia supradicta garantizare et defendere contra omnes homines, vel excambiare alibi, in nostro proprio hæreditagio, ubicumque fuerit, valore ad valorem, si necesse fuerit, competenter. Pro hiis autem venditione, concessione, dimissione, garantizatione, defensione, et excambiatione, dictum capitulum dedit michi centum et quinque solidos Turonenses in peccunia numerata, de quibus me teneo penitus pro pagato. Et, ut hoc sit firmum et stabile, et duret in perpetuum, istud præsenti carta et sigilli mei munimine confirmavi. Actum est hoc anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo tertio, mense junii, coram parrochia prædicta, die veneris, in festo beati Barnabæ apostoli.